C inutilis fit. Colligitur & ex caulibus & ex radice ſicut è Mandragora liquor atq; ſuccus. Minus tamen efficax ſucco liquor, & uelocius expirat. Interdū etiam cōcreta inuenitur lachryma thuri ſimilis, caulibus radicibusq; adhærens. Ex aceto & roſaceo inuncti lethargicis, phreneticis, uertiginoſis, comitialibus, diuturnis capitis doloribus, reſolutis, iſchiadicis, conuulſis: in uniuerſumq; neruorū affectionib. ex oleo & aceto inungitur. Strangulatu uuluæ laborantes olfactus, ſoporeq; profundo correptos reuocat. Suffitu ſerpentes fugat. Aurium doloribus cum roſaceo inſtillatus prodeſt. Cauis dentium eroſis inditus eorundem dolores mitigat. Contra tuſsim in ouo ſumptus facit. Difficultati ſpirandi, torminibus & inflationibus ſubuenit. Aluum leniter mollit. Lienem minuit. Difficiles partus egregiè adiuuat. Ad ueſicę renumq; dolores & diſtentiones potus confert. Aperit uuluam. Radix ad eadem utilis eſt, ſed inefficacior. Eius decoctum bibitur. Sicca trita ſordida purgat ulcera, oſsiumq; ſquamas detrahit, ueteraq; cicatrice obducit. Ceratis malagmatisq; calefaciendi ui præditis miſcetur. Eligi debet recens, non carioſum, ſolidum, odoris plenum. Succus ad potiones amaris amygdalis, aut ruta, aut pane calido, aut anetho diſſoluitur.

EX GALENO.

Peucedani radice quidē maximè, ſed tamen etiam ſucco & liquore utimur. Sunt autē hæc omnia eiuſdē ſpecie facultatis, ſed ualentior liquor, admodū excalfaciens & digerens. Quare affectibus omnibus circa neruos conſiſtentibus conuenire creditur, tum morbis in pulmone & thorace ex craſsitudine atque uiſcoſitate humorū factis. Et intrò quidem in corpus ſumpta, ſed tamen etiam olfactu proſunt. Porrò quod incīdat atque extenuet, ſæpe etiam dentium perforatorū dolores cauitati impoſitus protinus ſedauit, quia uidelicet eſt tenuiū partium, & excalfactorius. Quin
D etiam lienes induratos iuuat, nempe incidendo, digerendo & extenuando craſſos humores. Sed & radice ad hæc uti licebit, quæ & ſquamas ab oſsibus celerrimè detrahit, quia uidelicet ualidè deſiccat, minus tamen quàm ſuccus excalfaciens. Et ulceribus malignis arida illita optimum eſt remedium; ipſa enim expurgat, carnem generat, & ad cicatricem perducit.

EX PLINIO.

Peucedani radices concidūntur in quaternos digitos oſſeis cultellis, funduntq; ſuccum in umbra, capite prius & naribus roſaceo perunctis, ne uertigo ſentiatur. Et alius ſuccus inuenitur caulibus adhærens, inciſisq; manat. Probatur craſsitudine mellea, colore ruſſo, odore ſuauiter graui, feruens guſtu. Et hic in uſu & radix, & decoctum eius pluribus medicamentis. Succo tamen efficaciſsimo, qui reſoluitur amaris amygdalis, aut ruta, bibiturq; contra ſerpentes, & ex oleo perunctos tuetur. Idem pectoris doloribus ſubuenit. Pituitam & bilem detrahit Peucedani radix. Eadem decocta lieni & renibus prodeſt. Perungunt & radicē ſudoris cauſa eliciendi, quoniam cauſtica uis ei eſt. Peucedano ad recentia uulnera tanta uis eſt, ut ſaniem oſsibus extrahat. Cum ſemine Cupreſsi bibitur, ſi ſanguis per os redditus eſt, fluitq; ab infernis. Strangulatus uuluæ nidore uſtum recreat, laxanturq; ſuffocationes eo: ſed quidam ammiſcent in uino ſemen Cupreſsi cōtritum. Potum cum coagulo uituli marini æquis portionibus comitiales ſanat. Succus infantium ramici, & umbilicis eminentibus inungitur. Stranguriæ cum melle medetur.

Item ſemine lethargici excitantur, & ut perhibent ex euphorbio naribus tactis Peucedani ſucco.

DE PERSI-



PERSICA